

1521

veritus ne victoria insolens hostis, induciarum legibus perfractis, cuncta ad libitum misceret, ac quacunque facilius esset aditus irrumperet. Itaque Andreae Grito Legato mandatur, Lautrechio suadeat, ut exercitum a Venetis finibus in Ferrarienses ducat; soli fertilitate, ac frugum ubertate omnia ad comineum necessaria abunde regionem suppeditaturam; cum praesertim Alphonsus per suos nuntios nuper Lautrechio se, suaque Regi auxilio fore significasset, ac quamplurimae rei optime gerendae occasiones locorum opportunitate capi possent: id si omnino abnuat, quam maximam saltem copiarum partem eo mittat, cum reliquis in Veronae, ac Vicentiae finibus moretur; ne si intra Brixientem, ac Bergomatem agrum exercitum continere velit, bellum in Reipublicae viscera eliciat, infensis praesertim erga Hispanos incolarum animis, qui recentium injuriarum haud immemores, nulla periculorum habitatione, cuncta ausuri viderentur. Verum Lautrechius a Reipublicae finibus amovere copias noluit. Interim Oratori apud Galliarum Regem injungitur: cladem in Insubris acceptam Reipublicae nomine doleat; de communium rerum statu edoceat, omnem spem in eo sitam esse, qui fortunae malignitatem, ac improsperos eventus sua virtute corrigere possit: quocirca inexhaustis potentissimi regni viribus nitatur, labentes res sustinere, equitatus, peditatusque magnam vim in Italiam mittere: fore, ut hostes pecunia laborantes, munitionibus, atque arcibus adhuc Gallis obtemperantibus, non diutius victoriae fructu latentur. Dum haec fiunt, atque omnium animi eo intendunt, quo, post summa felicitate, ac facilitate partam a Caesareanis victoriam, res evasura essent, inopinato Leonis Pontificis obitu omnis eventuum, ac consiliorum ratio immutata est; qui cum ingentem laetitiam ex Mediolanensi victoria cepisset, animoque multo majora evolveret, ac spe jam potiretur, febricula paucis diebus confectus, v. non. decembris, non absque exhibiti veneni suspitione, e vita excessit: vir excellenti ingenio, regia liberalitate, praesertim in eos, qui ingenuis excolendis artibus incumberent, atque antiquitatis gloriam egregia aliqua virtute aemularentur: humanae felicitatis votis supra reliquos mortales felix; nisi Italiam, quae post praeteritorum bellorum clades respirare videbatur, denuo

Leonis Pontificis obitus.